



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S.
Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ
extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...**

Bacon, Francis

Francofvrti ad Moenvm, 1665

XXIX. Proserpina, sive spiritus.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5

ciens, atque etiam late & undequaque speculatur & prospicit, ut in verticibus Montium fieri solet. Vias autem obsidere fingitur Scientia, quia ubique in itinere isto, sive peregrinatione vite humanæ, Materia & occasio contemplationis se ingerit, & occurrit. Proponit autem *Sphinx* Quæstionis & *Ænigmata* mortalibus varia & difficilia, quæ accepit à Mufis. Ea tamen quamdiu apud Musas manent, sævitia fortasse carent. Donec enim nullus alius Finis Meditationis, & disquisitionis sit, præter ipsum Scire, Intellectus non præmitur, nec in Arcto ponitur, sed vagatur, & expatiatur; atque in ipsa dubitatione, & varietate, nonnullam jucunditatem & delectationem sentit, sed postquam à Musis hujusmodi *Ænigmata* ad *Sphingem* transmissa sunt, id est, ad Præcticam, ut insitet, & urgeat Actio & Electio, & Decretum: tum demum *Ænigmata* molesta & lava esse incipiunt, & nisi solvantur & expediuntur, animos hominum miris modis torquent, & vexant, & in omnes partes distrahunt, & planè lacerant. Proinde in *Ænigmatibus Sphingis* duplex semper proponitur conditio; non solventi mentis laceratio; Solventi Imperium. Qui enim rem callet, in fine suo potitur, atque omnis artifex Operi suo imperat. *Ænigmatum Sphingis* duo in universum sunt genera: *Ænigmata* de Naturâ rerum; atque *Ænigmata* de Naturâ hominis; Atque similiter in Præmium solationis sequuntur duo Imperia; Imperium in Naturam, & Imperium in Homines; Veræ enim Philosophiæ Naturalis finis proprius & ultimus est, Imperium in Res Naturales, Corpora, Medicinas, Mechanica, alia infinita; licet Scholæ, oblati contenta, & Sermionibus tumefacta, Res & opera negligat, & ferè projiciat. Verum *Ænigma* illud *Oedipo* propositum, ex quo ille Imperium *Thebanum* adeptus est, pertinebat ad naturam Hominis: Quisquis enim naturam Hominis prorsus introsperit, ille faber ferè fortunæ suæ esse potest, & ad imperandum natus est. Id quod de Romanis artibus bene pronunciatum est:

*Tu regere Imperio populos, Romane memento,
Hæc tibi erunt artes.*

Itaque appositè illud; quod *Augustus* *Cæsar* Signo *Sphingis*, sive de industria, sive fortunæ usus est. Ille enim (si quis unquam) in Politica excelluit, & in vitæ suæ curriculo, plurima nova *Ænigmata* de Naturâ hominis felicissimè solvit, quæ nisi dexter & paratus solvisset, multoties non procul ab imminente pernicie & exitio abfuisset. Atque additur in Fabulâ *Sphingis* devictæ Corpus in Asellum impositum fuisse. Elegantissimè certè, cum nihil sit tam acutum, & abstrusum, quin postquam planè intellectum, & deinceps pervulgatum sit, etiam tardo imponi possit. Neque illud prætermittendum: debellatam esse *Sphingem* à viro pedibus clavato: Etenim nimis cito pede, & celeri gradu ad *Ænigmata Sphingis* homines properare solent: unde fit, ut (prevalente *Sphinge*) potius per disputationes ingenia & animos lacerent, quam per opera & effectus imperent.

XXIX.

PROSERPINA, SIVE SPIRITUS

Narrant *Plutonem*, postquam regnum Inferorum ex partitione illa memorabili accepisset, de nuptiis alicujus è superioribus desperasse, si eas per colloquia, aut modos suaves tentaret; ut ad Raptum consilia sua dirigere ei fuerit necesse. Itaque captâ opportunitate *Proserpinam* *Ceræ* filiam, Virginem pulcherrimam, dum flores *Narcisci* in *Sicilia* pratis colligeret, subito in eursu rapuit; atque quadrigis secum ad subterraneanam asportavit; Ei magna reverentia præbita est, ut & Domina Ditis vocata sit. *Ceræ* autem ejus mater, cum filia sibi unicè dilecta nusquam comparuisset, supra modum mœsta & anxia, tandem accensam ipsa manu præ se ferens, universum Orbis terrarum ambitum peragravit: ut filiam investigaret & recuperaret. Id cum frustra fuisset, accepto fortè indicio, quod ad inferos devecata esset multis lachrymis & lamentationibus *Jovem* fatigavit, ut illa ei restitueretur. Atque tandem pervicit, ut si illa nihil ex iis quæ apud Inferos essent, degustasset, tum eam abducere liceret. Ea conditio Matris desiderio adversa fuit *Proserpina* enim grana tria ex malo granato gustasse comperita est. Neque idcirco *Ceræ* destitit, quin preces & ploratus de integro refunderet. Postremò itaque ei indultum est, ut *Proserpina* disperitis temporibus, & alternis vicibus, sex menses cum Marito, alteris cum Matre esset. Hanc *Proserpinam* postea *Theseus* & *Perseus* eximia audacia thalamo Ditis deducere tentarunt. Cum autem in itinere super saxo apud Inferos defessi confedissent, eis resurgere minime licuit, sed æternum fedebant. *Proserpina* itaque Inferorum Regina mansit; in cujus honorem etiam additum est privilegium magnum; Cum enim ab Inferis revocare gradum, illis qui eò descendissent, fas non esset; adscripta est huic legi Exceptio singularis; ut si quis Ramum Aureum in donum *Proserpina* attulisset, ei ob hoc ire & redire liceret. Is ramus unicus erat in ingenti, & opaco laco, neque stirps erat, sed visci instar in aliena arbore frondebat, atque avulso illo alter non deficiebat.

Fabula ad Naturam pertinere videtur, atque vim, & copiam illam in subterraneis, divitem & frugiferam, ex qua hæc nostra pullulant, & in quam rursus solvuntur, & redeunt, perscrutari. Per *Proserpinam* Antiqui significarunt Spiritum illum æthereum qui sub terrâ (per *Plutonem* representatâ) clauditur & detinetur à superiore globo divulsus, quod non male expressit ille:

*Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto
Æthere cognati revinebat semina cæli.*

Ille Spiritus raptus à Terra fingitur, quia minime cohibetur, ubi tēpus, & moram habet ad evolandum, sed subita contractione & comminatione tantum, compingitur & figitur, perinde, ac si quis aërem aquæ commiscere tentet: Quod nullo modo efficere possit, nisi per agitationem celerem & rapidam: hæc enim ratione videmus illa corpora conjugi cum Spuma, Aëre tanquam rapti ab Aqua. Neque ineleganter additur, *Proserpinam* flores *Narcissi* in vallibus colligentem raptam fuisse: Quia *Narcissus* à torpore, sive stupore

Pore nomen sumit; atque tum demum Spiritus ad raptum Materiæ Terreſtris magis præparatus & opportunus, cum coagulari incipit, ac veluti torporem colligere. Rectè autem tribuitur honor ille *Proſerpine*, qualis nulli uxori Deorum; ut Ditis Domina ſit, quia ille Spiritus planè omnia in illis regionibus adminiſtrat, ſtupido & quaſi ignaro *Plutone*. Hunc autem ſpiritum *Æther*, ac vis Cœleſtium (per *Cerere* adumbrata) infinita ſedulitate elicere, atque ſibi reſtituere contendit; Fax autem illa *Ætheris* ſive *Teda* ardens in manu *Cereris* proculdubio *Solem* denotat, qui circa terræ ambitum luminis officio fungitur, atque maximi omnium eſſet ad *Proſerpinam* recuperandam momenti, ſi omnino hoc fieri poſſet. Illa tamen hæret, & manet: Cujus ratio ſequitur accuratè & excellenter propoſita in Pactis illis *Jovis* & *Cereris*. Primum enim certiffimum eſt, duos eſſe modos ſpiritus in Materiâ ſolidâ & terreſtri cohibendi. Alterum per Conſtipationem ſive obſtructionem, qui eſt mera incarceration & violentia. Alterum per Miniſtrationem proportionati alimenti, atque id ſit ſponte & libenter. Poſtquam enim Spiritus inſeclus depaſcere inceperat, atque ſe alere, evolare prociùs non feſtinat; ſed veluti in Terra ſua figitur: Atque hæc eſt illa deguſtatio *Proſerpine* ex malo granato: quæ ſi non fuiſſet, jam pridem à *Cerere* cum face illa ſua orbem terrarum peragrante, abducta fuiſſet. Spiritus enim qui ſubelt metallis & mineralibus compingitur fortaiſe præcipuè per Maſſâ ſoliditatem; qui autem in Plantis eſt & Animantibus; in corpore poroſo habitat, & aperta effugia habet, niſi per illum modum Deguſtationis libenter detineretur. Secundum autem pactum de Semelſtri conſuetudine, non aliud eſt quàm Elegans deſcriptio diſperſionis Anni; cum ſpiritus ille per terram perſuſus, quoad res vegetabiles menſibus æſtatis apud ſuperiora degat, atque menſibus hyemis ad ſubterranea redeat. Quod verò attinet ad conatum illum *Theſei* & *Perithoi* abducendæ *Proſerpine*, id eò ſpectat, quod ſæpius fiat, ut Spiritus ſubtiliores qui ad terram in multis corporibus deſcendunt, neutiſquam illud efficiant, ut Spiritum ſubterraneum exſugant & ſecum uniant & evehant; ſed contra ipſi coagulentur, neque ampliùs reſurgant, ut *Proſerpina* per eos aucta incolis & imperio ſit. De virgâ autem illa Aureâ, vix videmur ſuſtinere poſſe impetum Chymiſtarum, ſi in nos hac ex parte irruant; cum illi ab eodem lapide ſuo, & Auri montes, & Reſtitationem Corporum naturalium veluti à Partis Inferorum promittant. Verùm de Chymica, atque Lapidis illius Procis perpetuis, certò ſcimus Theoricam eorum eſſe ſine fundamentos, ſuſpicamur etiam Præcticam eſſe ſine certo pignore. Itaque miſis illis, de iſtâ poſtremâ Parabola parte hæc noſtra ſententia eſt. Nobis certè compertum eſt ex compluribus Antiquorum figuris, eos Conſervationem, atque inſtaurationem quædam tenus Corporum naturalium, pro re deſperatâ non habuiſſe, ſed potiùs pro re abſtruſa, & quaſi aviâ. Atque idem ſentire hoc etiam loco videntur, cum virgulam iſtam inter infinita vir-

gulta ingentis & denſiſſimæ Sylvæ collocârunt; Auream autem ſinxere, quia Aurum Durationis Teſtera eſt: Inſtitivam, quia ab Arte hujusmodi effectus ſperandus eſt, non ab aliqua Medicinâ, aut modo ſimplici, aut naturali.

XXX.

METIS, SIVE CONSILIUM.

Narrant Poète antiqui *Jovem* cepiſſe in uxorem *Metim*, cujus nomen non obſcurè *Conſilium* ſignificat; eam autem ex illo gravidam factam fuiſſe: Quod cum ille ſenſiſſet, partum ejus nullo modo expectâſſe, ſed utique eam devoraſſe, unde & ipſe prægnans factus ſit: Puerperium autem mirum fuiſſe: Nam ex capite, ſive cerebro *Palladem* armatam peperiffet. Hujus Fabulæ monſtroſa, & primo auditu inſuſſiſſimâ ſenſus, arcanum Imperij continere videtur, quâ arte ſcilicet, Reges ſe verſus Conſilia ſua gerere ſoleant, ut authoritas, & majeſtas eorum non ſolùm illibata conſervetur, verùm apud populum augeatur, & extollatur. Nam Reges ſe cum Conſiliis ſuis, vinculo veluti nuptiali copulare & conjungere, & de rebus maximis cum eis deliberare, recto & prudente Inſtituto conſueverunt; Idque Majeſtatem eorum neutiſquam imminuere, haud abs re judicant: Verùm cum Res jam ad Decretum ipectat, quod inſtar partus eſt, Conſilii partes non ultra tendere ſunt, ne acta ex Conſilij arbitrio pendere videantur. Verùm, tum demum Reges (niſi hujusmodi res ſit, ut invidiam à ſe derivare cupiant) quicquid à Conſilio elaboratum ut veluti in utero eformatum eſt, in ſe transferre conſueverunt, ut decretum & Executio) quæ quia cum poteſtate procedit, & neceſſitatem inferit, eleganter ſub Figurâ *Palladis* armatæ involvitur) ab ipſis emanare videatur. Neque ſatis eſt, ut hoc ab Auctoritate Regum & eorum Voluntate, ſolutâ & libera, & non obnoxia, proteſtum videatur; niſi etiam hoc ſibi Reges ſumant, ut ex Capite eorum, id eſt, ex Judicio, & prudentiâ propriâ, decreta nata exiſtintur.

XXXI.

SIRENES. SIVE VOLUPTAS.

Fabula de *Sirenibus* ad pernicioſas illecebras voluptatis rectè, ſed ſenſu vulgariſſimo transfertur. Nobis autem videtur, *Sapientia Veterum*, tanquam Vix malè Caleatæ; ex quibus licet non nihil exprimitur, tamen potiſſimâ quæque reſident, & prætermittuntur. *Sirenes Acheloi*, & *Terpſichores* unius ex Muſis, filiæ fuiſſe narrantur; Ex primis temporibus alatae erant: ſed inſito temere cum Muſis certamine victæ, aliis mulctatæ ſunt. Ex pennis autem evulſis, Muſæ coronas ſibi fecerunt: aded ut ab eo tempore Muſæ cum Capitibus alatis procederent, præter unam *Sirenium* Matrem: Mora autem *Sirenium* erat in Iuſulis quibuſdam amœnis: Illæ verò è ſpecula naves adventantes cum conſpicerent, Cantu navigantes primò detinebant, deinde alliciebant, exceptos autem necabant. Neque ſimplex erat Cantilena, ſed ſingulis modis maxime naturæ eorum convenientibus captabant.

Tanta